

DE MATERIIS
TRIBUNALIVM
INQUISITIONIS

SEV DE REGVLIS MVLTIPPLICIBVS

Pro Formando quouis eorum Ministro, præsertim Consultore,

PRAEMISSIS XIIII. PROLEGOMENIS
DE ORIGINE ET PROGRESSV
DICTORVM TRIBUNALIVM.

Opus vti peculiari industria, & non exigua eruditione elaboratum; ita DD Inqui-
sitoribus, & quibus vis Officialibus S. Inquisitionis, imo, & alijs Iudicibus
& Ministris quorumcumque Tribunalium valde vtile.

TOMVS SECVNDVS

Libros Tertium, & Quartum comprehendens.

A V C T O R E

R. P. SEBASTIANO SALELLES.

De Societate IESV, Hispano ex Regno Valentiae, S. T. P. & Tribunalis Meli-
tensis per Annos quadraginta assiduo Consultore.

ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO D.


IACOBO DE TASSIS



ROMÆ, Ex Typographia Io. Petri Collinij. M. DC. LIII.

Sumptibus Ioannis Antonij Bertani, Sub signo Gryphi.

SVPERIORVM PERMISSV.



ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO D.
IACOBO DE TASSIS
VTRIVSQUE SIGNATVRAE
D. N. P. REFERENDARIO
ET S. CONGREGATIONIS
AQVAVM A SECRETIS.



IOANNES ANTONIVS BERTANVS S. P. D.



AM pridem ad te ibat liber hic Praesul Illustrissime.,
Quam quidem confidentiam tibi imputes necesse est, qui ita
me meaque complecti suetus es, ut iam nihil temere far-
xim si toties felicissime expertam humanitatem iterum pro-
uocem. Cæterum dignum satis est opus quod magno aliquo
inscriptum nomine prodeat. Si enim tuos Hercules in Cœlum intulit ve-
tustas, quod orbem teterrimis obsessum beluis liberassent; Quanto æquius
huic operi perennitas debebatur, quo atrum illud, horrendum, ingens
monstrum hæresis extincta est & profligata. Sub quo autem potius publi-
cæ lucis periculum faceret, quam eo sub patrono, in quo & Nobilitas ge-
neris vetustissimis innixa imaginibus, affluentes opes fortunæque sin-
gularis prudentia qua dispares etiam deiugesque virtutes inter se locian-
tur, iuris pericia summa cæterarumque scientiarum comitatus pulcher-
rimus, aptissime effulgent ac velut in suo lumine collocantur; Nec enim
cæterarum laudum iniuria Nobilitatem, quam ipse tot egregie factis il-
lustri tanquam admota face ab interitu vindicas; aut opes in te prædica-
uerim

LIBER TERTIVS DE MATERIIS TRIBUNALIVM FIDEI, SEV DE REGVLIS MVLTIPPLICIBVS PRO FORMANDO

Quovis eorum Ministro, præsertim Consultore, quoad intentionem mentis, seu quoad errores in mente suspecti de hæresi, vel apostasia latentes; Vbi pro eis facilius ab Inquisitore, & a Consultore eius inuestigandis tradentur series ipsorum per secula, in quibus emerferunt, cum inuentoribus eorundem &c. Vbi item agatur de annexis antecederet, nempe de recusatione Iudicis, seu Inquisitoris, & de multiplici examine reorum; consequenter Vero de repetitione testium maxime pro inuestiganda identitate personæ delinquentis, & de confrontatione eorum cum ipso; vel secus, &c.

P R O O E M I V M.



Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit, si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt, Matt. 6. & Luc. 11. Communis est expositio Sanctorum Interpretum, præcipue Diui Augustini lib. 22. qq. Euang. cap. 15. per oculum hoc loco significari intentionem in intellectu residentem, seu ipsam intellectum ex bene, vel male affectum secundumque has affectiones operantem, & facultates internas, ac externas animi ex mente eorundem interpretum maxime nostri Ioannis Maldonati per corpus hic significatas, in quibusvis earum actionibus

liberis perpetuo dirigentem; si affectio sit bona, si oculus tuus fuerit simplex, scilicet non infectus pravis humoribus, vt egregie exponit idem Maldonatus, sed mundus, & purus, seu melius, & propius nostro instituto, si radijs fidei Diuinæ fuerit illuminatus, tunc etiam totum corpus lucidum erit, nempe omnes dictæ animæ facultates in suis operationibus eodem fidei Diuinæ lumine fuerit illuminatus, & coruscabunt, & ad finem diuinæ gloriæ salutisque æternæ abundanter acquirenda tendent. E contra verò, si mala sit affectio intentionis, si oculus tuus fuerit nequam, idest, iuxta interpretationem ipsius Maldonati, si vitiat, & immundus, totum corpus tenebrosum erit. Verùm de qua nequitia, de qua immunditia intelligendum? de quacunque potest intelligi, nullum dubium, quandoquidem particula, *nequam*, indefinita, ac vniuersalis est, & absq; ulla restrictione proponitur; magis tamen videtur quadrare Sacro textui, si de maxima nequitia, de præminenti inter reliquas exponatur, videlicet de opposita dicto lumini supernaturali Fidei, de Infidelitate, de Hæresi, de Apostasia; vt clarè denotant particula tenebrosum, & tenebræ immediatè post in ipso textu expressæ; sicut enim per lumen fides Catholica, ita per tenebrosum, seu per tenebras errores quicunque eidem fidei Catholicæ contrarij sepius in sacro eloquio indicantur. Il. 49. dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ; & cap. 9. populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Luc. 1. in Canticum Zachariæ. Illuminare his, qui in tenebris, & umbra mortis sedent: & similia, docentque S. August. Beda, & alij exponentes illa verba Ioann. 12. Ambulate, dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant. Sed quandonam petes oculus simplex, quando verò nequam censetur existere, vnde id percipi potest? Hoc opus, hic labor; adeo equidem difficile, reconditam mentis intentionem inuestigare, vt videatur soli Deo reservata talis inuestigatio iuxta Illud Hier. 17. Profundum est cor hominis, & inscrutabile, & quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda, & probans renes; nihilominus valde proprium est, & inter alia singularia multa, istud singularissimum; nostrorum

319 Doctrinam materiz appellationum, si non pro dignitate, & excellentia eius, saltē pro tenuitate ingenioli nostri, perpenſis quoquomodo sex communibus circumſtantijs, quid, quis, vbi, cur, quomodo, & quando, perſpicua diuiſione, nouaque methode vltimo præcedenti capite tradidimus: Ac per eam diuino ſapente Numine, ſinem impoſuimus Libro quarto nostri Operis de Materijs Tribunalium Fidei, ſeu de Regulis multiplicibus pro formando quouis eorum miniſtro, præſertim Conſultore, quoad quæſtionem, ſeu torturam, &c. Diuiſimus ipſum congruē in octo capita, & 37. Regulas circa varietatē eorum, quæ ipſi torturae antecedenter, vel conſequenter annexa ſunt. In elaboratione autem dicti Operis hūc nos perueniſſe, eſt cur Deo omnium bonorum auctori grates iugiter rependentes feliciter plaudamus, ac ſpe non exigua indē erecti ad duos ſequentes libros perficiendos auxiliū ab ipſo Deo, enixē imploremus.

Finis die 25. Martij 1646.

**Laus Deo Opt. Max. Sanctiſſimæque Virgini Deipatæ
M A R I A E,**

